


um




3 2044 107 239 261

MH

474







#

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM BOTANICO-
MEDICAM

DE

V I S C O,

P R Æ S I D E

JOH. JACOBO BAJERO,

Philos. & Med. Doct. hujusque
Prof. Publ.

Illustr. Reip. Norimberg. Physico,

in Ordine, quem vocant Circulari,

Defendendam suscipiet

ad diem Decembr. A. C. MDCCVI.

LEONHARDVS FRIDERICVS
HORNUNG,

Hala-Suevus.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

ALTDORFI
HARVARD
UNIVERSITY

May 1911

24124

00117
00118
00119
00120

PROE MI V M.



Uti de multiplici augmento Medicinæ seculo præsentis congratulantur, ut rationem reddant applausus sui, ad Botanicam imprimis dirigere jubent oculos, & conferre saltem vastam, quæ nunc illius est, amplitudinem, cum exiguo, qui olim erat, ejusdem apparatu.

Nempe non ex Africa solum, sed aliis etiam orbis terrarum partibus, hodiernum semper aliquid novi ad nos perferri constat, hinc vero plantarum adeo cumulari notitiam, ut plura nunc harum millia numerare liceat, quam Veteres centurias potuerint. Quamvis autem hoc alicujus augmenti argumentum non plane sit nullum, dubio tamen procul incrementi majoris foret indicium, si non nuda duntaxat nomina & figuras, aut ad summum notas characteristicas novarum plerarumq; stirpium calleremus, ignoratis ut plurimum facultatibus & usu. Quare sæpius cogitare subit, haud proorsus absurde Helmontium (*) negasse, à diebus Dioscoridis rem herbariam increvisse, quod nil fere virtutum, proprietatum ac usuum sit adjectum priori inventioni atque historiis &c. Passim hodie creditur sufficere, ut aliquis sit magnus Apollo & Botanicus, si multas nominare plantas, juag, ad genera revocare singulas noverit, tametsi vires ipsarum minus perspectas habeat, quam rustica rudis plebecula. Si igitur dicendum quod res est, maneat sua laus dictæ plantarum notitiæ Grammatico-Physicæ, non tamen æque per banc promovebitur salus hominum, quam potius per indefessum efficacæ virtutumq;

(*) Tract. de Studiis Autoris §. 10.

tutumq; in vegetabilibus tentamen. Caterum plures cordati Medici consultius duxere, jam pridem celebratorum, præcipue indigenorum remediorum ulteriori probationi & experimentis incumbere, quam, illis neglectis, dubio cum eventu, novis ac peregrinis inhiare. Placuit propterea nobis, exercitii gratia, VISCII, utpote perantiqui multumq; semper æstimati, & passim ob vii medicamenti concinnare historiam: Faxit DEVS T. O. M. ut auspicato id moliamur!

C A P V T I.

De Nomine Visci.

§. 1.



E communem, qui observari solet in Disputationibus Academicis conscribendis, ordinem prorsus negligere videamur, pauca quædam, ad *Visci Onomatologiam* pertinentia, & ipsam rem quodammodo illustrantia, juvabit præmittere. Quod Latio VISCVM dicitur, aut VISCVS in genere masculino, idem Helladi ὀϊξὸς & ἡ ἰξία audit, quemadmodum ambo hæc vocabula, eo in sensu accepta, passim apud Autores Græcos occurrunt. Utrum autem ὀϊξὸς progeneraverit Latinis *Viscum*, sicuti præ cæteris suspicatus est C. Hoffmannus (a); an vero juxta Joh. Rajum (b) ab Æolico Βίσκος, pro ἰξὸς, formaverint Latini vocabulum suum; an denique ἰξὸς ab ἔχω (significante κρατῶ, teneo) quasi ἰξὸς, à futuro ἔξω derivetur (c), id quidem aliis, qui hujusmodi Philologicis conjecturis impensius, quam nos delectantur, examinandum relinquimus.

§. 2. Quan-

(a) De Medicam. officin. Lib. II. cap. 153. num. 3. (b) Hist. Plant. Tom. II. p. 1583. (c) Vid. G. Baub. Pinac. Lib. XI. Sect. IV. p. m. 423.

§. 2. Quantum ad *Synonymiam*, η ἰζία Græcorum commune, η σελις Euboensium, τὸ ὕφραρ Arcadum vocabulum est, *Theophrasto* (d) perhibente, licet idem moneat extare quosdam, qui singulis nominibus illis diversas res indicent, imo ipse alibi (e) discrimen aliquod admittere videatur. Peculiare est *Hesychii* *Synonymion*, ἀσουλὶς nempe, quod in hoc significato apud alios veteres autores vix legitur, utpote quibus lactucæ communitur denotat genus, plane non hujus loci. Quomodo Arabes, & Europææ nationes variæ, sua quælibet lingua VISCVM appellent, si quis scire aveat, *Christ. Menzelium* (f) imprimis poterit consulere. Germani autem, *Viscum* designaturi, vocabulo *Mistel* aut *Mispel* uti consueverunt.

§. 3. Cæterum *homonyma* quædam, vel nomine cognata *Visco* nostro, ipsa vero re ab eodem distincta, ne obscuritatem pariant genuinæ notioni, removenda nunc veniunt: Et 1) quidem η ἰζία *Hippocratis*, quam τὸ κιστῶ æquipollere *Galenus* (g) autor est, & *Foësius* (h) per varicem interpretatur. 2) ὁ ἰζός & τὸ ἰζῶδες, quibus vocibus *Hippocrates*, in laxiori significato, ad declarandas res glutinosas, tenaces, varias utitur, docente iterum *Foëso*. 3) τὸ ἰζίον ejusdem *Coë*, quod *Galenus* l. c. folium albi *Chamæleontis* esse perhibet. 4) η ἰζίον *Theophrasti* (i), quam *Plinius* (l) per *Helxinem* interpretatus est, *Gaza* vero per *carduum pineam*; obscurum qualis sit planta, licet *Prosp. Alpinus* (m) & *Joh. Bodæus à Stapel* (n) ejus in gratiam multa disputaverint, cum nobis interim sufficiat,

(d) de *Caus. Plant.* Lib. II. cap. 23. (e) *Hist. Plant.* Lib. III. cap. 17. (f) *Indic. nomin. Plant. multilingu.* p. m. 316. Conf. etiam *Onomastic.* à *Mich. Toxite* edit. p. 362. (g) in *Exeg. voc. Hippocr.* (h) *Oeconom. Hippocr.* p. m. 283. (i) *H. P.* Lib. VI. cap. 4. (l) *H. N.* Lib. XXI. cap. 16. (m) de *Plant. exoticis* cap. 56. (n) *Comment. in Theophr.* l. c. p. 622. & sequ.

ciat, patere vel ex sola *Theophrasti* descriptione, quod *Viscum* nostrum nullatenus esse possit. (s) ὀξίλας (non ἢ ἰξίλας vel ἰξία, uti recentiorum plures corrupte legunt) *Dioscoridis* (o) εὐλόφουον cognominatum veneni genus, sive jam sit herbæ *Chamaeleontis* species (quod cum *Plinio* (p) Arabes multique alii arbitrantur) sive non sit (quemadmodum *Nic. Leoniceus* (q) *Fabius Columna* (r) *Claudius Salmasius* (s) & *Bod.* à *Stapel* l. 2. perquam operose contendunt), res certe est ab ἰξία seu *Visco* nostrate satis aliena.

§. 4. Non erit operæ pretium intricatissimæ, hætenus commemoratæ *Græcorum homonymiæ* diutius immorari: Quare breviter sakem ostendemus, quanta penes *Latinos* etiam æquivocatione *Visci* vocabulum laboret. Ita 1) dicitur *Viscus* (*visceris*) in genere neutro, singulari quoque numero, prout *Rob. Keuchenius* (t) adstruit, tamen si frequentius in plurali usurpetur, qua voce plures internas corporis animati partes molles, cavernosas, organicas, generatim designare solemus. 2) Chimici, monente *Libavio* (u) omnem succum vegetabilem, non prorsus ad siccitatem, sed mellis tantum consistentiam redactum, nuncupant *Viscum*; & quanquam in animali regno succi tenaces nomine glutinis vulgo veniant, *Paracelsus* tamen quemvis lentorem *Viscum* appellavit. 3) *Viscum metalli* vocatur quibusdam Mercurius, seu materia prima metallorum, affirmante iterum (x) *Libavio*. (4) *Viscus secundæ generationis Paracelsi* (y) est cruor, nescio quis, à salibus descendens, sive sal egestum, vel rejectum, & separatum à primo sale. Tacemus res alias plures, *viscosas* aut *viscidas* appella-

(o) de mat. med. Lib. VI. cap. 21. (p) H. N. Lib. XXI. cap. 18.
 (q) de Error. *Plin.* p. m. 224. (r) de minus cognit. stirp. Cap. I. (s) Hemon. *Hyles Iatr.* cap. 53. (t) Not. ad *Sammonic.* p. 251. (u) *Alchem.* Lib. II. Tract. II. cap. 2. p. m. 246. (x) *Syntagm. arcan. Chym.* Lib. III. cap. 1.
 (y) de Tartaro Lib. I. Tract. I. cap. 3.

pellatas & cognominatas, cujusmodi *Lychnis Viscosa*, *Viscaria*, *Viscago*, &c.

§. 5. Hæc igitur cuncta, tam Cræca, quam Latina homonyma, cum *Visco*, qualem nos tractandum selegimus, neutiquam (ut ab ipso derivata pleraque videantur) confundenda, sed suo loco relinquenda sunt. Nobis autem nihilominus duo restant, *Visci* nomine insignita, nimirum *Planta quædam* observatu dignissima, & *hujus è baccis confectum gluten*, ad cujus utriusque historiam porro contexendam nos accingimus.

CAP. II.

De structura, partibus, quibusdam propriis & accidentibus Visci Plantæ.

§. 1.

INter arbores numeratur *Visci planta*, propter substantiam lignosam & caudicis perennitatem frequentemque simpliciter, quas quidem potiores arborum notas genericas Botanici constituunt: Quia tamen interdum gemino aut multiplici trunco vegetans deprehenditur, ad fruticum genus ideo referri quoque poterit, præsertim quod totius plantæ altitudo, rectissime observante l. c. *Plinio*, cubitalem raro excedat. Omnis autem *Visci caudex* brevis est, teres, pollicaris ad summam crassitie, ex nodoso fastigio geminos plerumque *ramos* emittens, quorum quilibet binas rursus extrudit, aliquando ternas propagines, hæc medio nodo plures (ad senarium usque numerum) *ramulos* proferunt, qui iterum singuli frequentibus luxuriant *surculis*, ut inde in arbusculam dense fruticosam *Viscum* efformetur.

§. 2. *Cortice* vestitur glabro, coloris herbacei, qui tamen foris in junioribus ramulis intensius flavescit, saporis subamarum & subadstringentis: odore pollet injucundo & gravi, ut
virus

virus appellare non vereatur *Plinius*. At lignum ipsum albicans est, solidum, fragile, non fibrosum, sed tanquam ex resufili conflatum (sicut id accurate *Paulus Renealmus* (z) annotavit), odore & sapore quam cortex debiliori præditum.

§. 3. *Folia* ramulorum extremitatibus sine notabili pediculo adhærent bina, ex adverso posita, duas plerumque uncias longa, vix minimum lata digitum, succulenta & crassa, nervis rectis secundum longitudinem (plantaginis pentanervæ in modum) donata, coloris subcrocei, quandoque herbaei, saporis & odoris ejusdem fere cum cortice. Durant per hyemem in omnibus differentiis, non prius decidua, quam ubi nova in novellis ramulis succreverint: Hanc ipsam foliorum *Visci* constantiam, contra *Theophrastum* ejusque sequaces, *Virgilius* (aa) asseruisse videtur:

*Quale solet sylvis brumali frigore Viscum
Fronde virere nova, &c.*

Monemus hic obiter, falli eos, qui *ramum aureum*, à Poëta l. c. commemoratum, esse ipsissimum *Viscum*, sibi cum *Petro Crinito* (bb) persuadent; siquidem è contextu apparet, quod *Virgilius* saltem comparaverit *Visco*, quoad externam faciem, aureum ramum suum, quem longe sublimius aliquid in Chymia denotare docet *Artis* hujus *Mystagoga* incomparabilis, D. D. *Wedelius Senior* (cc).

§. 4. *Flosculi* verno tempore prodeunt è *Visco*, tum ad genicula, tum ramos extremos, parvi, monopetali, pelvisiformes, plerumque quadripartiti, exiguis conspersi verrucis, tanquam apicibus pulverem effudentibus; sicuti hæc omnia dexterrime descripsit atque delineavit, è *Botanicis* Jos. Pitt. *Tournefort* (dd).

§. 5. *Em-*

(z) Specim. hist. Plant. p. 22. (aa) *Æneid.* Lib. VI. p. m. 250.

(bb) de honest. discipl. Lib. X. cap. 6. (cc) Dec. X.

Exerc. Med. Philol. III. (dd) Institut. Rei herbar.

Class. XX. Sect. VII. Tab. 380.

§. 5. *Embryones* subnascuntur, foliolis quatuor stipati, sed à floribus remoti, quod itidem curate notavit laudatus D. *Tournefort*. Hi embryones sensim adolefcunt, & circa autumnum in *baccas* abeunt subrotundas pisi mediocris magnitudine, coloris albidii & fere diaphani, quem striæ aut fibræ quasi lignæ, per superficiem dispersæ variant. Pulpam in utriculis continent lentam, tenacem, glutinosam, odoris cujusdam, per maturitatem, vinosi aut pomacei, saporis dulcis haud ingrati.

§. 6. *Semen*, pulpa cinctum, latitat in centro, singulis baccis unicum, cordiforme, latum, compressum, viride, membrana splendoris argentei tenerrima circumretitum: Hoc ipsum re vera esse prolificum, partim elucebit inferius, partim avtopsia persuadet anatomica, quatenus per mediam latitudinem diviso, statim oculis sese objicit (præsertim armatis) *plantula seminalis*, à communi, prope mucronem vel obtusum apicem, origine, in duo cornua clavata versus basin exporrecta, & ad utrumque latus protuberantia, quemadmodum, ante plures jam annos, rimatus hæc omnia oculatissimus *Malpighius* (ee) memoriæ prodidit, ac depingi eleganter curavit.

§. 7. Exposita hucusque phænomena *Visci* quemvis inducere haud difficulter posse speramus, ut pro absoluta cunctis partibus suis planta *Viscum* agnosceret, nisi quod *radicum defectus*, à nonnullis accusatus, obstare videatur. Ea enim est natura *Visci*, ut terræ commissum (quolibet artificio) semen ejus, neque radices agat ulla, aut modo vegetet alio, sed tantum ex arborum truncis atque ramis pronascatur; unde J. C. *Scaliger* (ff) parasiticam stirpem, quasi quæ aliena quadra vitet, appellavit.

B

§. 8. Equi-

(ee) Anatom. Plant. Part. II. de Plantis, quæ in aliis vegetant.

(ff) in *Aristot.* de Plant. Lib. II. p. m. 125. 2.

§. 8. Equidem jam dudum *Theophrastus* in multis arborum speciebus pullulare *Viscum* perhibuit, paucis tamen nominatis. Recentiores autem (plurimorum observationes colligente *C. Bauhino* l. c.) deprehenderunt in Abiete, Acere, Betula, Castanea, Cerro, Corylo, Cotoneo, Cynosbato, Hice, Larice, Malo, Mespilo, Nuce, Olea, Oxyacantha, Oxycedro, Populo nigra, Pruno sylvestri, Pyro domest. & sylvestri, Quercu, Robore, Rosis, Salice, Subere, Sorbo, Terebintho, Tilia. Insuper in Fraxino, Rhamno cathartico & Ulmo invenit solerrimus nostri seculi Botanicorum, nuper cheu! defunctus, *Joh. Rajus* (gg). In Fago repertum, qui asseveret novi neminem, præter *Jodocum Harchium* (hb). Supra Vitem observavit *Ant. Musa Brasavolus* (ii). Amygdalæ innatum vidit *Olaus Borrichius* (ll). Buxo insidens habuit *Exc. D. Joh. Paul. Wurffbainius* (mm), quale & *Plinius* commemorat (nn), quem tamen *Rob. Constantinus* (oo) redarguit, quod, *Theophrastum* exscribens, perperam eatribuat Buxo, quæ competant Ilici; *Plinium* contra defendit *Joh. Harduinus* (pp) & non audiendos esse suadet Censores illius. Sed cur tam studiose conquirimus arbores foetura *Visci* conspicuas, cum ferme in quamvis cadere queat fortuna hæc, an infortunium? ut certe *Bened. Symphorianus* (qq) testatur, in Gallia omnis generis arboribus *Viscum* adnasci. Quin & in nostra vicinia, locis quidem variis, sed parum diffitis, decem diversas arborum viscigerarum species numeravit Floræ Altdorffinæ sacerdos meritissimus, ὁ μακαρίτης *D. D. Maur. Hoffmannus* (rr).

§. 9. Nos

-
- (gg) Hist. Plant. l. a. (hb) Enchirid. Med. p. 269. (ii) Exam. simpl. Med. p. m. 411. (ll) Act. Hafn. Volum. I. obs. 67. (mm) Ephem. Germ. A. N. C. Dec. II. Ann. III. obs. 184. (nn) H. N. Lib. XVI. cap. 30. (oo) Annot. ad *Theophr.* H. P. Lib. III. cap. 16. (pp) Not. in *Plin.* l. c. (qq) Hortorum Lib. XXVI. cap. 22. (rr) Catal. Plant. indigen. Lit. V.

§. 9. Nos magis solliciti nunc erimus de *Visci*, tam varia sede & natali loco gaudentis plantæ, *radicibus*. De his apud antiquos Scriptores altum quasi est silentium. Absque radice nasci, cum *Joh. Rajo* (ss) plures recentiorum existimant. Proprias saltem ipsi denegat *Scaliger* (tt) alienas concedens, arboris nimirum viscigeræ fibras & ramos, secundum *Joh. Renodæum* (uu). At vero rectius *Honoratus Fabri* (xx) contendit, *Viscum* agere radices suas intra plantam, cui adnascitur, quod vel ipsis oculis videantur. Atque ita est omnino, ut mirari subeat, quomodo Viri tot sagaces manifestam rem in dubium vocare, aut penitus negare potuerint. Certe enim avtopsia comprobabit cuivis ea, quæ *Marc. Malpighius* l. c. consignavit: Expositum nempe *Visci* truncum suis radicibus firmari; sub cortice arboris, illum hospitem nutriente, radices disseminari, proprio contactas cortice & tracheis ligneisque fistulis instructas; ab his minores alias oriri radices, ipsum lignum penetrantes, & usque ad medullam deductas, &c.

§. 10. Hinc vero petenda venit ratio frequentis (*Malpighio* quoque perspecti) phænomeni; quare ramus arboreus eo loco, quem *Viscum* occupat, monstruosum in tumorem amplificetur, & extrema illius portio, quæ adolescere ulterius debèret, marasmo contabescat? quia nempe *Visci* radices in longum & latum expansæ, cuneorum instar ad latera quaquaversum distendunt, ac deflectere sensim cogunt ipsius rami fibras, unde tumor nodosus exoritur; atrophia autem succedit, partim propter impeditiorem succi nutritii transitum per distortas rami fibras, partim, quod *Visci radices* appellentem, pro alendo arboris ramo, succum in se potissimum recipiant ac deprædentur. Qua de causa *Viscum* assimilari posset ingrato

(ss) Method. plant. edit. prior. p. 45. (tt) In *Aristot.* l. c.
 (uu) De mat. Med. Lib. I. Sect. IV. cap. 83. (xx) De
 Plantis Lib. III. Propos. 2.

cuculo, qui altricem suam interimere vulgò creditur: Saltem non injuste accensent ipsum morbis arborum Botanici (zz); quodque plantam pro sede sua acquisitam corrumpere soleat, *Theophrasto & Plinio* jam cognitum fuit: Quo etiam spectat illa *Petri Bellonii* (a) & *Car. Clusii* (b) observatio, oleas videlicet ab inhærente sibi *Visco* steriles reddi.

§ 11. Cæterum sicuti, canente Poëta, *Omne nefas aliquid quo perimatur habet*; ita *Viscum* alias plantas mutilans & marcescere faciens, suos vicissim patitur manes, & à variis infestatur hostibus. Siquidem *musco crustaceo, licheniformi, flavo ac cinereo*, non tantum ramos grandiores, sed & surculos teneriores obsessos, indeq; notabiliter emaciatos deprehendimus. Præterea *vermiculos*, alibi nunquam inventos, observavimus, instar exiguorum cimicum aut granorum cochinillæ, genicula *Visci* numerofo agmine occupantes, non sine vigoris ipsius *Visci* detrimento; cum singuli vermiculi isti, candida quadam lanugine (tanquam nido) circumsepti, exhaurire sensim plantæ succum viderentur. Porro & à *teredinibus exesum*, ad radices usque, cernere licuit *Viscum*, destructis ita per profundam in caudice cariem plantis integris. Tacemus quod mortalium curiositas, sive jam respiciat arborum viscigerarum conservationem, sive ipsius *Visci* multifariam utilitatem, raro patiatur illud annosum aut longævum reddi, si vel maxime ab injuriis aliis securum superesse posset ac vegetare diutius. Sed aurem nobis jam sentimus vellicari, esse majus operæ pretium, *Visci originem* declarare, quam *interitum*, quare ad illam dilucidandam progrediamur.

CAP. III.

(zz) Vid. Ephem. Germ. A. N. C. Dec. III. Ann. II. append. p. 34.

(a) Plant. rar. histor. Lib. I. cap. 18.

(b) Observ. Lib. II. cap. 83.

CAP. III.

De Ortu, Propagatione, Genere ac Differentiis
Visci Plantæ.

§. 1.

A Multis inde seculis agitata fuit operose inter Physicos ardua illa quæstio, *undenam Viscum oriatur?* diversis diversa sentientibus. *Aristoteles* (γ) non nasci ex femine suo, sed sponte ex arboribus aliis prodire statuit, cui opinioni jam ante *Stagiritam* favisse videtur *Jon*, Poëta Chius; siquidem is citante *Scaligero* (δ) & *Isaaco Casaubono* (ϵ) sudorem *Quercus* appellavit *Viscum*. In eandem postmodum sententiam pedibus ivere plures Philosophi & Medici, quos inter nominandi præ cæteris *Joh. Anglicus*, *J. C. Scaliger*, *Ulyss. Aldrovandus*, *Joh. Renodanus*, *Matth. de l'Obel*, *Paulus Renealmus*, *Casp. Hofmannus*, *Dan. Sennertus*, *Honor. Fabri*, *Thomas Browne*. Seorsum *Scaliger* arbitratur, quasi cornua ex ossibus animalium, sic ex arboribus educi *Viscum*: à calore enim interno foto informata ejus principia in succo sibi conaturali, ab externo adjuta atque evocata concrefcere, atque in plantam hanc adolescere, veluti cornua quædam. *Honor. Fabri* l. c. *exprimogenio semine*, quod aliis plantis inest, quodque, positis dispositionibus requisitis, germinat, *Viscum* oriari censet; illas vero dispositiones aliquam affectionem plantæ, ex qua germinat, impressam supponere, hoc est plagam vel ulcus, non sine excremento, quod ut plurimum ex ulcere manare solet: Hinc *plantam excrementitiam* appellat, quia scilicet ex illo excremento quasi pullulat novum *Visci* germen, in quo dispositiones invenit ad germinationem requisitas, &c.

B 3

§. 2. Ma-

(γ) Lib. 1. de generat. animal. cap. 1. (δ) De subtilit. exercit. 168. (ϵ) Comment. in *Achancum*.

postea dissectos, nullum exhibuisse granum in ventriculo & intestinis, ergo frustra hinc expectari propagationem: 3) Si vel maxime aves cacando redderent integrum *Visci semen*, id tamen haud posse sua sponte valentissimum findere arborum corticem, subire ligna durissima, & sine radice unum cum illis fieri; imo si hoc etiam concederetur, obstare nihilominus 4) quomodo consistere queat *Visci granum* in ramis arborum supremis, tenuibus, erectis, quibus ipsæ aves insidere difficillime possunt, & seorsum, quomodo idem pronæ seu terram spectanti ramorum parti (ex qua sæpius prodiisse conspicitur *planta Visci*) adhærescere valeat, & contra ventorum imbriumque potentiam se conservare?

§. 4. Verum hæc, utut speciosa, *Scaligeri* argumenta haud difficulter diluuntur. Et quidem, quod *primum* attinet, non valet consequentia; plures enim sunt plantæ, e. g. muscus variarum specierum, & herbæ quædam capillares, quæ in terra feri ac vegetare recusant, cum interim faxis & arboribus promte innascantur, nemine sagaciorum hodie Botanicorum amplius dubitante, quin ex proprio succrescant femine, quanquam id obscurum sensibus existat, & peculiare ob causas non ubique pullulet. Quod 2) turdorum *Visco* faginatorum interanea nullum exhibuerint acinum, haud mirum est; quia curioso *Pauli Boccone* (1) experimento (quod & ipsi feliciter sumus imitati) constat, gallinas, volucresve alias, deglutitas *Visci baccas* haud multo post, indigestas, parumque alteratas, per alvum reddere, quasi purgans aliquod assumisissent; ut propterea *Scaligerum* inquisitionem suam paulo ferius instituisse suspicemur. 3) Opus non est singulari violentia, ut arborum cortices findat, & vegetante virtute sua profundius ad ligna penetrans cum iisdem coalescat *Visci semen*; potest enim, vel forte fortuna rejici ab avibus in aliquam ramum

(1) Observat. German. idiom. edit. Lips. 1693. num. XXI. p. 451.

mi partem, cujus cortex jamjam rima quadam hiat, vel ad-
 hærentis pulpæ & stercoris beneficio emollire & relaxare fi-
 brarum corticalium rigidam densitatem, atque ita ingressum
 sibi parare, proprias radices (quarum existentiam supra de-
 monstravimus) pandendo per rami substantiam, sensim qui-
 dem, ut *gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo*. Neque
 vero magis paradoxum est, quod *Viscum* hac ratione in unum
 coalescere queat cum alieno ramo, quam quod aliarum arborum
 gemmas, levi artificio, aliarum ramis implantari, & uniri
 facillime, toto die cernimus: Quare *Theophrastus* plantatio-
 nem illam *Visci* proximum quid esse insitionibus & inoculatio-
 nibus (τὰς ἐμφορτίαις καὶ τοῖς ἐνοφθαλμισμοῖς) sapientissime pron-
 unciavit. Tandem & 4) nos parum moratur ea difficultas,
 quod nempe in ramorum extremitate perpetuo mobili, aut
 prona parte, sedem invenire stabilem nequeat cacatum *Visci*
semen; id enim contra procellas pluviasque potenter fatis tue-
 bitur tenax (cui adhuc involutum ordinarie ab avibus secedit)
 gluten, quod ipsi pertinacem adhæSIONem, pro inchoanda
 pullulatione necessariam conciliat, luculento divinæ provi-
 dentię specimen. Talibus autem è ramis, quibus aves nul-
 latenus insidere potuerint, enatum *Viscum*, uti nos nunquam
 conspeximus, ita, ipse *Scaliger* an unquam viderit, merito
 ambigimus. Quantum de cætero ad furculos, ex rami parte
 terram spectante prodeuntes, hos quidem immediate feri
 posse ab avibus minime arbitramur, nullo interim hinc fluen-
 te argumento, quod sponte ex arboris succo superfluo gene-
 rentur; cum potius exploratissimum habeamus, secundarios
 hos esse stolones, quibus, antea plantatum in parte rami su-
 perna *Viscum*, per radices suas, quaquaversum, & sic etiam
 deorsum distributas, protrudendo luxuriat, eodem plane
 modo, quo videmus alias plantas, emissis è radice pluribus sto-
 lonibus fruticare.

§. 5. Solis fere rationibus, pro eruenda *Visci* genuina origine disceptatum fuit hactenus; quia tamen una (quod in proverbio dicitur) *experientia plus valet, quam centum rationes*, illam consulere nunc eo magis juvabit, quo magis olim neglectam deprehendimus, tum in aliis *Physicæ* momentis, tum in hoc præcipue. Frustra equidem conati sumus, ad *Petri Borelli* (x) consilium, *Visci* surculorum quibusdam arboribus infitione facta, illud multiplicare. Sed meliori longe successu *femina Visci* tentata fuit *satio*. Vernali quippe labentis anni hujus tempore, in mali domesticæ ramos, ubi cortex rimas acceperat, tam superna quam inferna parte, *grana Visci* matura, suo adhuc stipata glutine, collocavimus, quæ firmiter sic affixa post aliquot septimanas, jucundo spectaculo, initium vegetationis manifestum fecere, largiter exerendo bina illa (superius jam descripta) cornicula, circa basin quidem, atque adeo inusitato seminibus aliis modo, utpote quæ communiter primum germen ex apice deprimunt.

§. 6. Fatemur autem ingenue, ad experimentum istud capiendum nos incitasse cumprimis *Joh. Rajum*, qui (λ) simile quippiam à *Sam. Doody*, Pharmacopœo Londin. ante quatuor circiter lustra in *Populo alba* effectum ex voto tradidit. Huic postmodum celeberr. D. D. *Rud. Jac. Camerarius* (μ) suum adjecit calculum, egregia multa pro ejusdem experimenti confirmatione & illustratione afferens. Neminem vero, in exploranda *Visci natura*, & propagandæ ratione, novimus curiosiorem doctissimo *Anonymo*, qui latere sub *Civis Atlantici* titulo hucusque voluit. Hic multiplici doctus experientia, testatur (ν) *femina Visci per se esse prolifica*, & quoque sine avium ministerio, manu saltem hominis feri feliciter posse, adeo,

C

ut

(x) Cent. I. Obs. X. p. m. 18. (λ) Append. ad Hist. Plant. p. 1918. (μ) Ephem. Germ. A. N. C. Dec. III. Ann. I. obs. 106. (ν) in Epist. ad Amicum, Ephem. German. A. N. C. Dec. III. Ann. III. append. p. 49. inserta.

ut in quacunq; arbore, frutice & suffrutice, & univcrsim in omni planta, quæ annua hyemis inclementia non destruitur, *Viscum* plantari copiose queat. Nec præterea dubitavit, in Opuntia vel Aloë *Viscum* eodem artificio se producturum; de quo nos etiam, ulterius *de v. c. s. c.* adornandis experimentis impetrando, minime desperamus. Bene interim est, quod nunc demum constet, non amplius à centenariis solummodo corylis, & arboribus maxime annosis aliis, expectandum esse *Viscum*, ut multi quondam somniarunt, sed longe feliciter in bimulis ac trimulis provenire, quod etiam *J. H. Funckenius* (&) compertum jamdiu habuit. Ut autem solertissimus *Anonymus*, quem modo laudavimus, *diarium*, quod pridem inchoatum penes se habuit, *observatorum & experiorum, Visci propagationem concernentium*, aliquando publici juris facere dignetur, historiæ naturalis provehendæ causâ optandum putamus, quin & eundem obtestamur, tanto quidem magis confidenter, quanto magis ad observationes illas edendas, icones necessarias addendas, modum denique, quo in omni arbore *Viscum* produci possit monstrandum, ipse Nobilissimus Autor se jam paratum asseveravit.

§. 7. Sic igitur, unica laudatorum experienterum accessione, longis ac diuturnis, super *origine Visci*, controversiis ac disputationibus impositum finem, cum *Joh. Rajo* gaudemus, insimul mirantes, maluisse Botanicos & Philosophos argumentis, ultro citroque habitis, tot secula contendere, quam naturam consulendi & rem ipsam experiendi laborem, sane non valde ærumnosum, sumere. Cæterum, ut spontaneæ *Visci* generationis assertores perversa ratiocinatione ductos, ita qui ex semine proprio, mediantibus avibus, propagationem fieri statuunt, experientia & analogismo sobrio potissimum inductos arbitramur; sive quod invenerint ipsum
Visci

(2) not. ad Comment. *Agricolæ* in *Poppium* part. III. cap. 12.

Visci semen, avium excrementis, conspurcatum, arboribus agglutinatum pullulasse postea; sive quod consideraverint, alias plantas simili modo, iisdemque satoribus produci; quemadmodum cerasos, in cacuminibus montium inaccessis frequenter conspiciendas, non aliunde quam à volucris, quæ fructu integro devorato, inclusum officulo duro semen, haud digestum deinde egresserunt, oriri verosimillimum imo certum est. Illam pariter arborem, quæ nucem moschatam fert in India, sæpissime à certis avibus dicto modo plantari, plures affirmant fide digni Scriptorum (o). Neque rarum est arborum diversarum in diversis, itidem per aves, contingere sationem; cujusmodi exemplum nobile præbet sambucus innata salici, specificum antepilepticum *Joh. Hartmanni* (π); ut de sorbo, aliisque, acinos vel semina duriora gestantibus arboribus nil dicamus. Ea vero harum inter & *Visci vegetationem* est differentia, quod, cum semina reliqua, in arboribus alienis germinatura, desiderent pro sede sua partem aliquam arboris, præ putredine conversam pene in terram, ut *Theophrastus* loquitur, *Viscum*, sine terrena putredine, cum corticis primum, hinc ligni vegeta substantia immediate uniri, ab eademque nutrirî gestiat: Pro cujus phænomeni ætiologia reddenda, utrum *arboris excipientis*, & *Visci seminis*, quod excipitur, *pororum conformitas*, nonnullis persuasa, sufficiat, an aliquid speciosius excogitari possit? inquirant alii, nobis in speculando sagaciores, & una scrutentur causam, *quare tam lenta Viscum satum incrementa capiat*, sicut autopsia docemur.

§. 8. Superest, ut satis jam prolixè descriptam *Visci plantam*, more Botanicis recepto, ad genus aliquod certum referamus, & ultimo species ipsius *Visci* enumeremus. Illud quod

C 2

atti-

(o) Conf. præcæteris *Gvil. Pison.* de Ind. utr. Re Nat. & Med. it. *Joh. Neubosii* Histor. Legation. (π) *Prax. Chimiatr.* cap. de Epilepsia.

attinet, obiter quidem in principio capitis antecedentis indicavimus, *arborem* videlicet aut *fruticem*: Propius vero constituturus *Joh. Rajus* (p) inter eas *arbores Viscum* collocat, quarum flos basi fructus cohæret, fructu humido, monopyreno minore; sive *bacciferas, non umbilicatas, monopyrenas*, cui generi *Philyrea, Laureola, Chamelæa* pluresque aliæ substant. *Clar. Tournefort* autem l. c. *arboribus & fruticibus, flore monopetalo, à fructu separato, Viscum* accenset. Nos qui perfectam, plantas in classes digerendi, methodum nullam adhuc cognovimus, integrum cuilibet permittamus, utrum in præfenti negotio accedere malit *Rajo*, an *Tournefortio*, an ab utroque dissentire?

§. 9. Cæterum in *speciebus Visci* recensendis, præter necessitatem entia multiplicasse autores cernimus, & aliquot plane falsas allegasse *differentias*. Ita *Plinius* perperam dividit *Viscum* in *marem & feminam*; hanc sterilem, istum fertilem pronuncians, contra experientiam, cum vix ulla adultior *Visci planta* non fructifera occurrat. *Theophrastus* pariter hallucinatur, quando *Viscum* aliud *folio esse perpetuo*, aliud *deciduo* statuit, hoc in arboribus frondem amittentibus, illud in semper virentibus deprehendi. Sed omne *Viscum*, in quavis arbore, per hyemem retinere folia, constans est cum aliorum tum nostra observatio. Neque illas *differentias, ab arborum viscigerarum diversitate petitas*, essentielles agnoscimus, sic, ut e. g. *Colurnum à Querno, Tiliaceo, Abiegno, &c.* specie differat; cum accidentale istud, qualecunque discrimen, ex unica *loci natalis varietate* pendeat: Ostensum enim jam est, quod facile ex *Pomaceo v. g. Visco Quernum, Tiliaceum, Colurnum, & vice versa, fieri possit, sola feminum transplantatione*; quamvis diffiteri nequeamus, ab arbore, cui innascitur *Viscum*, peculiare quædam recipere cum alimento affectio-

Æiones, quoad colorem, saporem, &c. ut sane Abieti & Piceæ implantatum, pro genio earundem saturatius virens, & odorem manifeste resinofum spirans deprehenditur. Aliam differentiam, è *Conr. Gesneri* MStis Botanicis petitam, commemorat *Joach. Camerarius* (σ), *polycoccon* scilicet, quod baccarum racematim cohærentium copia distinguatur à vulgari, cæteris partibus cum ipso conveniat. Verum ne hæc quidem pro *separata & distincta specie* meretur venditari, quoniam sæpe in uno eodemque *Visci* ramo genicula offendimus, alia paucas, nempe binas, ternas, alia plures baccas, ad duodecim usque gerentia. *Viscum* Indicum latifolium *Lobellii*, Peruvianum *Gerardi*, *Oxycedrinum Clusii*, *Sedum* arborescens *Bontii*, licet pro *Visci* nostri *speciebus*, aut saltem pro valde affinis ipsi plantis habeantur, alius tamen esse generis, apparet è singularum descriptionibus, apud *Rajum* præcipue legendis.

§. 10. De consensu autem plurimorum fere Botanicorum *duæ* tantum sunt *genuina Visci species*: altera vulgaris illa, *baccis albicantibus*, cui potissimum tradita in antecedentibus phænomenorum recensione litavimus: altera, *baccis ex rubro purpurascantibus*, quale *Viscum* in oleis luxurians non procul *Hispani Clusii*, circa Hierusalem vero *Bellonius* observarunt. His *tertiam* speciem, *baccis nimirum ex albo luteis*, in *Fraxino* deprehensam à *Joh. Læselio* (τ) addere luberet, nisi vereremur, eandem entium non necessariam multiplicationem, quam ante aliis exprobravimus, hic nobis etiam objectum iri.

(σ) Epitom. *Matthioli* de Plantis p. m. 556.

(τ) Catal. Plant. rar. *Borussicæ*.

CAP. IV.

De Collectione, Delectu, Preparatione, Facultatibus & Usu Visci Plantæ.

§. I.

Post expositam, ea qua licuit concinnitate ac perspicuitate, *naturalem Visci Plantæ historiam*, proximum est, ut *virtutes*, quibus illa polleat, & quomodo ad *usum* (præsertim *Medicum*) impendi queat, indicemus. Præmittere autem ordo jubet nonnulla, quæ circa *Collectionem, Delectum* ac *Preparationem* notabiliora occurrunt. Equidem, cum perpetua fronde vireat *Viscum*, propterea *nullo non anno tempore utiliter posse colligi videretur*. Nihilominus, quia plantæ pleræque aliæ tunc maxime *collectioni* creduntur opportuna, quando florere incipiunt, aut saltem prius quam meliorem vigoris sui partem in fructuum elaboratione amiserunt, hanc ob causam *Viscum ineunte vere consultum erit decerpere*. Cur vero Luna decrescente, inter duo Mariæ Festa, hoc est, d. 15. Augusti & 8. Septembris collectum, efficacius alio existat, ut *Joh. Hartmannus* l. c. contendit, nos quidem haud intelligimus. Majori adhuc superstitione occupatos in *colligendo Visco Druydas* legimus apud *Plinium*: Sexta enim Luna, quæ ipsis principia mensium annorumque faciebat, à Quercu petere solebant hoc modo *Viscum*. Sacrificiis epulisque sub arbore rite præparatis, duos admovebant candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vincirentur: Sacerdos candida veste cultus arborem scandebat, falce aurea demetebat, candido id excipiebatur fago: Tum deinde victimas immolabant, precantes, ut suum donum Deus prosperum faceret his, quibus dederit, &c. Promte hic exclamaremus cum *Plinio*: *Tanta gentium in rebus frivolis plerumq; religio est!*
nisi

nisi *Elias Schedius* (v) argute moneret, mystici forsan aliquid subesse ritibus illis, ut apparent, simplicibus ac superstitiosis: Conjicit enim, *Druydas* à patribus quondam primævis audivisse, quod *germen Jehova* (cujus passim apud Prophetas fit mentio) aliquando efflorescere deberet, omnibus gentibus salutare futurum: Et hujus oblationem virgæ illius germinis signum ratos fuisse, ideoque in sacris repræsentasse illam oblatione *Visci*.

§. 2. Nos, in medio relinquentes hasce conjecturas, à collectione ad delectum *Visci* pergimus, circa quem mira est Auctorum inter se dissensio, aliis huic, aliis isti, aliis illi arbori innatum præferentibus. *Druyda*, & cum ipsis magna tam veterum quam modernorum caterva, palmam deferunt *Visco Querno* (ita enim scribendum docet ὁ Πολυμαθηστὸς G. H. *Velschius* (φ), non *Quercinum*, ut vulgo solent). *Columnum*, aut in *Corylo* repertum, extollit, ceu præstantissimum, *Henr. ab Heer* (χ) cum multis aliis. *Filiaceum* antetulit cuicumque alteri D. *Joh. Rosa*, Elect. Palat. Amberg. quondam Medicus (ψ). Sed, ne plures ejusmodi de *Visco* seligendo discrepantes sententias producamus, id tantum attendi meretur, quod Medici hoc in negotio nimis curiose respexerint ad virtutes arborum viscigerarum, de quibus ipsum *Viscum* participare firmiter crediderant: prout igitur unus arborem hanc, e. g. Quercum, alter aliam, e. g. Corylum, majori efficacia præditam sibi persuasit, ita etiam de *Visci delectu* diversimode pronunciatum postea fuit. Et si verò nos unius arboris, præ altera, majorem salubritatem in genere haud negemus, insimul quoque *Visco* tributam participationem de arborum, quas

(v) De Dis German. Syntax. II. cap. 36. (φ) Annot. ad *Marc. Cuman.* observ. Med. N. XI. p. 40. (χ) Observ. Med. VIII. (ψ) Not. margin. suo (quod olim habuit) exemplari Epitom. de Plantis *Matthiol.* manu propr. adscript. p. 555.

quas incolit, viribus specificis, aliquo modo largiamur, ægre tamen possumus concedere, ullam arborem, adeoque & *Viscum plantam* ei adnatam, contra omnes morbos tanta gaudere potentia, ut non existant aliæ, certis in casibus pari aut optatori cum successu adhibendæ. Quapropter nemini auctores esse volumus, ut *in deligendo Visco*, respectu ad sedem ejus locumve natalem, nimium sit religiosus aut scrupulosus; præsertim cum allegata ista diversarum arborum specifica virtus, quæ *Visco* communicetur, demonstratione ulterius indigeat. Imo, si res in hoc delectu potissimum rediret ad specificam arborum virtutem, quam in *Viscum* suum transfunderent, commodius profecto ipsæ arbores expeterentur, *Visco*, quem alunt, penitus neglecto.

§. 3. Quodsi autem quærat, *quanam Visci plantæ portio præ cæteris eligenda sit?* respondendum; pro varia intentione nunc *plantam integram*, nunc *hanc vel illam partem* magis desiderari, ut ex sequentibus apparebit. Interim trunci & adultiorum ramorum *lignosa substantia* communissime censetur esse nobilior: Cui tamen *nos corticem præstare existimamus*, nullo dissentendi pruritu, sed experimentis impulsu; dum non modo penetrantiori odore ac sapore (ceu Cap. II. §. 2. retulimus) cortex pollet, verum etiam affusum vini spiritum, aliaque menstrua, profundius longe tingit, & manifestioribus imprægnat qualitatibus, quam lignum. Accedit in subsidium sententiæ nostræ, quod alii etiam cortices, v. g. Cinnamomi, Canellæ albæ, Sambuci, Frangulæ, &c. suis lignis toto die inveniantur efficaciores.

§. 4. *Delectam* qualemcunque *Visci plantæ* portionem (nisi recens illico ad usum expetatur) *siccata* in umbra, loco puro ac temperato diu asservare licebit, viribus non facile perituris. Vario autem amplius modo *Viscum* preparatur ad medicinam. Usitatissima est *pulveratio*, mediante scobina
sive

siye tritura. Pulverem hunc vel solum, vel aliis, pro re nata, mixtum, in forma sacca offerre, aut cum syrupis, conservis, &c. idoneis in electuarium bolumve redigere consueverunt. Tincturam qui desiderat, cum spiritu vini eam parabit saturatam, eleganter viridem, ex cortice præsertim, ut modo diximus: Hæc, si evaporationi committatur, extractum relinquit, in pilulis commode propinandum, à quo parum forsan abludet, quod è solo infuso aut decocto cum aqua simplici facto inspissari potest; quamvis, quid utrumque efficiat, experiri nobis nondum licuerit. Spiritus è ligno Visci destillatur per retortam igne arenæ, acidus ac penetrans, quem tamen Clar. Dan. Ludovicus (ω) prolectis è ligno Coryl. aut Gvajac. spiritibus nihilo pollentiorum judicat. Ex adverso D. Joh. Michaelis (1) spiritum Visci querni egregie sudorem movere testatur, ad epileps. præserv. à gutt. xx. ad xxx. dandum, coralliisque extrahendis aptum commendat. Oleum una cum spiritu impetratur empyreumaticum, nova destillatione seu rectificatione, suavius ac subtilius reddendum, quod (si modo è Corylino Visco paratum fuerit) multi cum Paulo Ammanno (2) suspicantur esse ipsissimum oleum Heraclinum Mart. Rulandi, ab eo habitum pro singulari arcano antepileptico & multoties comprobatum (3): Sed Pharmacopœia Bateana (4) confectum è ligno Coryli oleum Heraclini titulo dignatur. Destillationem cum aquis aut spiritibus, per alembicum, merito rejicit Joh. Zwelferus (†), quia nihil pene virtutis è Visco sublimatur. Cæterum quomodo Visci planta variis usibus externis accommodari, & seorsim in unguentum redigi queat, paulo post videbimus.

§. 5. Properantes autem nunc, ad recensendas facultates & effectus Visci nostri, temperamentum ejusdem prius declarare tenemur, quod, communi Medicorum consensu, calidum

D

est

(ω) Pharmac. Dissert. I. p. m. 274. (1) Prax. Clin. General. Part. I. Lib. II. cap. 17. (2) Manud. ad mat. Med. p. 63. (3) Vid. Curat. Empir. Lib. I. cap. de Epileps. p. m. 43. & seq. (4) Lit. O. p. m. 104. (†) Pharmac. Reg. p. m. 311. 352. & 53.

est & *siccum*, tametsi in terminandis gradibus qualitatis utriusque haud convenient, aliis cum *Christ. Margravio* (5) primum, aliis cum *Joh. Prævotio* (6) tertium assignantibus. Nobis, qui dictas medicamentorum qualitates diversas, earumque in gradus certos subdivisionem, sano sensu, in relatione scilicet ad corpus humanum, quod magis vel minus evidenter alterant, facile admittimus, *Viscum* hinc *primo gradu calidum*, *secundo siccum* esse videtur; ita quidem, ut hanc constitutionem præcipue à particulis *sulphureis*, blandis, elasticis, in parciore, *terreis* autem fixioribus, in largiore quantitate, invicem junctis, deducamus: Quanquam nec *salinas volatiles atomos*, plane exclusas velimus, sed ab his, dum sulphureas exaltant, odorem *Visci* manifesto gravem, & subamarum saporem modificari opinemur, cum contra subadstringens sapor, à particulis terreis, salinarum connubio gaudentibus, probabiliter dependeat. E laudato *Visci temperamento* descendunt *secunda* ac *tertia* (si fas est loqui cum veteribus) *qualitates* egregiæ plures, nominatim, *absorbendi*, *præcipitandi*, *incidendi*, *aperiendi*, *tonum fibrarum roborandi*, *sudores movendi*, *dolores mitigandi*, &c. quæ conspicuæ magis evadent, ubi *quarta* (vulgo sic appellatas) *qualitates*, sive decantatas & compertas in hoc aut illo speciatim morbo virtutes, exposuerimus.

§. 6. Haud equidem ea nobis mens sedet, quasi pro *Panaacea*, aut universali remedio, *Viscum* mereatur venditari, quemadmodum olim *Druidæ* nimis creduli autumarunt, plantam hanc (si vera narrat *Plinius*) *omnia sanantem* appellantes suo vocabulo; unde apud nostratum aliquos hyperbolicum *Visci* cognomen, *heil allen Schaden* / invaluisse suspicamur. Licet autem ita non in omnibus, attamen in bene multis, partimque gravissimis, humani corporis affectibus perquam utile deprehensum fuit *Viscum*. Contra *Epilepsiam* id valere, tanquam specificum auxilium, affirmant uno ore antiqui & recen-

(5) Mat. Med. contract. Sect. I. cap. XX. (6) de Remed. Mat. p. m. 24.

recentiores Medici, quorum complures enumerat *Matth. Untzerus* (7) & *Henr. à Bra* (8). Mirandum vero, quod paucissimi propriam hoc in passu allegaverint experientiam, cum tamen vix credibile sit, tot viros graves ex auditu saltem arguisse rem arduam, aut in alieno acquievissent iudicio. Interim nugatos omnes arbitramur, qui appensum collo, aut alias in corpore gestatum *Viscum*, amoliri, ut morbos alios, sic epilepsiam posse, perhibuerunt. Quo spectat *Ebnsina* (9) commentum de *Ligni Crucis* (id enim *Visci querni lignum* esse statuunt interpretes) epileptico cuidam appensi effectu; nec non *Papicolarum* vana persuasio, de rosariis aut precatoriis orbiculis (*Rosen-Kränzen*) ex eodem ligno confectis, à morbo caduco præservaturis: Hujusmodi *amuleta* nobis, cum *C. Hoffmanno*, in ea sunt æstimatione, qua olim *Priapus*.

§. 7. Certior est *Visci*, per os exhibiti, *antepileptica virtus*, quæ tamen, ad actum deducenda, supponit, ut 1) in substantia propinetur, pulveratum saltem, ceu ante diximus: 2) dosi non nimis parva; sed à ℥j. ad ʒ℥. circiter: 3) sæpius repetita; unde *Plinius Viscum*, pro hoc scopo, ætatis quadragenis diebus usurpandum esse scribit. Felicis eventus exemplum notatu dignissimum suppeditat *Illustr. Rob. Boyle* (10) quod huc referre integrum non pœnitebit. Domina quædam juvenis longo tempore morbo epileptico, maxime *contumaci* divexata, atque medicaminum, à famosissimis undecunque accersitis Medicis præscriptorum, usu continuo excarnificata, non modo nihil exinde levaminis habuit; quin potius malum, quotidianis progressibus auctum, unici diei spatio, octo vel decem paroxysmorum insultibus recurrit, ægramque miserrime torquebat; donec tandem solo *Visci querni genuino usu*, aliquot diebus plenilunio proximis, quantitate

(7) Tract. de Epilepsia, cap. XI. (8) Catal. Medicam. adv. epileps. p. m. 111. (9) Cap. de Corallio. (10) De Utilit. Philos. Experimental. Exercit. V. cap. VII. §. 28.

ritate nummum sex denariorum contegente in aqua cera-
nigr. vel cerevisia, jejuno stomacho hausto, *sanitati felicissime*
restituta fuisse: Quamvis etiam ex nobiliss. patientis, & ipsius
Medici testimonio, vix operatio sensibilis aut defatigatio,
præprimis ubi assumpto medicamento obdormiebat, observa-
retur, a primo tamen, quo specificum hoc recepit, die, uni-
co saltem paroxysmo prostrata fuit. Nobilis quidam senex,
ex accidenti agræ paroxysmo, instar mortuæ in terram pro-
stratæ, præsens, & Medicinam dictam exhibens, asseverabat,
se morbum hunc pravum & tetrum nunquam non felicissime Vi-
isco hoc genuino percurasse &c. Hactenus Dn. Boyle. An vero
prorsus occulta ratione (quod multi putant) *Viscum* medea-
tur epilepsiæ, nos quidem dubitamus: Etsi enim citra sensi-
bilem ejus, qui assumit, alterationem operari deprehendatur,
nil tamen obstat, quo minus, præcipitando sensum ac inver-
tendo causam morbificam particulis terreo - alcalicis, spiritus
autem, officinam eorum, nervosumque genus per sulphureas
atomos pacando & recreando, agere concipiamus. Ad mi-
nimum, siccandi & absorbendi facultatem, ut in *Visco* satis
manifestam, ita epilepsiæ contrariam agnovere, præ cæteris,
C. Hoffmannus, Dan. Ludovici & Joh. Gallego de la Serna, qui
& (11) alteram, nempe cerebrum & genus nervosum corro-
borandi virtutem, liberrime *Visco* attribuit.

§. 8. Eodem fundamento nititur *Visci*, in *convulsionibus*
aut *spasmodis*, præter epilepsiam aliis, *paralysi* item, & pluribus
nervosi generis affectibus, efficacia, quam seorsim Otto Brunfel-
sius (12) deprædicat. Nec dispar est ratio, quare *vertiginem*
repugnet. Scimus quosdam, inquit (13) *Joh. Bauhinus*, ligno
Visci, in vino macerato, non inutiliter usos contra *vertigi-*
nem. Similiter *Matth. de l'Obel* (14) *Viscum* quasi piamen-
tum

(11) Oper. omn. Tract. III. cap. 28. p. m. 216. (12) Herbar.
edit. A. 1540. Tom. III. p. 112. (13) Hist. Plant. uni-
vers. cap. de *Visco*. (14) Advers. Stirp. p. m. 282.

tum *vertiginosis* inventum judicat. *Cephalicis* hujus plantæ *ustibus* merito annumeramus egregium *Hier. Tragi* (15) experimentum: *Omnia* videlicet *Visci genera*, dum viridia adhuc & recentia sunt, tusa, succo extracto, auribusq; indito, discutere collectiones earum, emollire intra paucos dies, doloremque finire. Et hanc quidem *paregoricam* virtutem optime perspectam quoque habuit *Joseph. Quercetanus* (16) balsamum aut unguentum è foliis *Visci pomorum recentibus* componere docens, quo ad dolores sedandos nullum præstantius inveniatur medicamentum: unde vero illa vis dependeat, difficile erit monstrata, nisi ab *anodyno*, particulis terreis immerso sulphure, quod toties laudatus gravis odor plantæ arguit, deducatur.

§. 9. Ad medii porro ventris, sive thoracis mala varia utile existit *Viscum*. Pulvis ejusdem, drachmæ unius pondere, in aqua hordei aut alia simili propinatus *pleuriticis*, oborto sudore copioso, dolorem sedat, *Andr. Casalpino* (17) teste, cui suffragatur beatus, olim noster, *Phil. Scherbius* (18): Et *D. Bovule*, apud *Rajum*, arcani loco suadet pulverem *Visci*, contra pleuritidem, ∇ card. bened. & papav. aliquoties sumendum. Decoctio *Visci querni*, in aquis stillatitiis pectoralibus, vel jure longo, per triginta dies exhibenda, gaudet facultate evacuandi insensibiliter materiam noxiam in *asthmate*, seu *respiratione lesa*, si *L. alio à Fonte* (19), autori profecto fide digno, credimus. Quantum valeat unguentum, ex cortice medio *Visci querni* & butyro majali confectum, in mucilaginoso humore pectoris extergendo, testantur illi, qui pro *phthi- sicis habitis*, sæpe ex continuato ejus usu, intrinseco & extrinseco, optatæ sanitati restituti sunt, prout *Adamus à Leben-*

D 3

wald

(15) Hist. Stirp. edit. Lat. p. m. 950. (16) de Sclopet. vuln. p. m. 161. (17) De Plantis Lib. III. cap. 7. (18) Thef. Med. à C. Hofm. collect. p. 63. (19) Consult. Med. CXVL.

wald (20) loquitur. Insuper in *hemoptysi* proficuum *Visci* usum adstruit *Joh. Poppius* (21) & *Fac. Theodor. Tabernamontanus* (22), qui etiam contra *phthisin* commendat, non obscura nobis ratione, petenda ex absorbente & subadstringente hujus vegetabilis facultate.

§. 10. Jam, quomodo *regioni corporis infima*, seu *abdomini contra morbos varios* auxilio sit *Viscum*, adductis Practicorum numerosis observationibus, prolixè possemus ostendere, nisi placeret delectum habere notabiliorum saltem. In *ictero*, aut morbo regio *Viscum* prodesse perhibet *Brunfelsius*, & *Bened. Curzius* (quem sub nomine *Symphorizani*, à parria sic dictum, Cap. II. §. 8. jam citavimus) ex eo (inquit) *Visco*, quod in aronia *Mespilo* nascitur, arquatis (i. e. ictericis) nonnullos mederi scio. Sed nobilior forsàn est effectus in *dysenteria*, quemadmodum *Hieron. Martius* (23) sacerdotem novit, mira præstantem in hoc morbo, sæpe exhibendo in cibis *Viscum quernum*, quod eundem in finem a *Brunfelsio* quoque laudatum legimus: Rationem vero exprimenti redditurus *Clar. G. H. Velschius* (24) ligno *Visci* præter vim siccandi, adstrictionem inesse quandam, & occultam potestatem, dispellendi malignitatem, arbitratur. Cæterum sequioris præcipue sexus auferendis infirmitatibus diversis apprimè conveniens hinc inde celebrant Medici *Viscum*. Ita in *mensibus*, qua nimis, qua deficientibus corrigendis, extollit iterum *Brunfelsius*. In partu difficili *Viscus colurnus* ad ʒj datus, certum est remedium, experientia *D. Mulleri Tugiensis*, recensente *Clar. D. Eman. Kanigio* (25), quod etiam confirmat *Beatus D. Georg. Francus* (26). Ad secundinas remorantes expellendas in Anglia

(20) *Ephem. Germ. A. N. C. Dec. II. Ann. I. Obs. 109.* (21) *Kräuterbuch / p. m. 198.* (22) *Deutsches Kräuterbuch / Part. III. cap. 23.* (23) *Obs. Med. à Velschio edit. num. 34.* (24) *Schol. in laud. Obs. Martii.* (25) *Regn. Vegetab. Part. II. Cap. 13.* (26) *in Flora sua, p. m. 76.*

glia frequentatur, sic, ut ipsis quoque vaccis, pro hoc scopo, ingeri cum successu, notaverint *Joh. Rajus, & Thomas Browne* (27). Nobis illa, *Visci efficacia, uterum expurgandi*, potissimum tribuenda viderur *tonicæ virtuti* ejusdem, quæ certe singularis est. Siccando autem mederi magis putamus *fluori albo*, contra quem specificè valere *Viscum* autor est *Joh. Michaelis* (28). Nec alio fere ex capite, quam intemperiem uteri humidam emendando, proderit *in sterilitate*, cui, post *Druidas*, complures Medici adversum credidere *Viscum*.

§. 11. Nolumus cæterarum, passim prædicatarum *Visci virtutum*, e. g. *in pass. hysterica, febb. intermittibus, lumbricis intestinorum, morsibus serpentum, venenis variis, &c.* ambitiosam facere mentionem; cum nec ante a nobis recensitas, omnes satis certas, atque constantes, sed *ad experientia lydzium lapidem amplius revocandas* serio censeamus, quod & ipsimet, ubicunque tulerit occasio, nunquam negligemus. Interim tribus quasi verbis monere lubet, quod *Viscum* illis in casibus, *ubi MSnea liberanda est ab impuritatibus*, maxime salinis, acribus, scorbuticis, haud vanam spondeat operam, *absorbente ac diaphoretica virtute sua*: Propter hanc enim *Andr. Casalpinus* (29) illud non inepte à quibusdam substitui ligno *Gvajaco in lue venerea* curanda, judicat, applaudente *Ful. Cas. Claudino* (30). Nefas autem esset omittere insignem *Visci usum contra veneficia & incantamenta*, quem revelavit *Barthol. Carrichterius* (31), unguenti, è *Visco colurno* parandi, descriptione, per *Henr. ab Heer* l. c. minus accurate (ut quidem putarat) in Latinam versa, quod ex collatione apparet. Hoc unguentum, non tam effato inventoris, quam laudati *Heeriz* ejusque imitatorum observatione, constat incomparabile

(27) Pseudodox. Epidem. Lib. II. cap. 6. (28) Prax. Clin. General. Part. I. Lib. V. cap. 30. (29) Specul. Art. Med. Lib. IV. cap. 7. (30) Append. ad Lib. de Ingress. ad infirm. Sect. III. (31) Practic. Lib. II. cap. XII. p. m. 37.

parabile prorsus esse, ad dolores aliaque symptomata incantatarum partium, dummodo apertis ulceribus non scateant, quod *Carrichterus* attendere jubet. Stante hoc experimento, quilibet facile poterit conjicere, quantum in affectibus artuum aliis, paregorica facultate summa præstiturum sit *Viscum*; ut certe folia ejus recentia, in formam cataplasmatum redacta, & applicata, *Joh. Anglicus* (32) pro secretissimo habet remedio in omni gutta vel arthritide. Pariter in contractura membrorum. *Petr. Andr. Matthiolus* (33) unguentum ex *Visci* (in Pyro nati) planta integra, cum pinguedine capon. concinnatum maximo esse auxilio, testatur. *Usus extra Medicinam* nos quidem parum moramur, etiamsi multiplex adstrui queat. Sic *Theophrastus* & *Plinius*, pecora comesto recenti *Visco* salubriter saginari & pinguescieri, tradiderunt, nostratibus etiam rusticis sat noto experimento. Ad mulomedicinam valere *Viscum*, in Pyro præsertim deprehensum, & propterea magnificeri a fabris, accepimus. *Visci virtute claustra aperiri posse*, exemplo furis cujusdam, Venetiis comprehensi, inductus credit *Joh. Costeus* (34): Sed bene est, diabolicum hoc artificium, inter abusus execrabiles numerandum, latere in tenebris, æterna sepeliendum oblivione.

CAP. V.

De Natura & Usu Visci glutinis.

§. I.

EVoluta, in antecedentibus capitibus *Visci* planta historia Physico-Medica, seorsim de glutine homonymo nunc agere decrevimus. Hoc Græci & 188 vocabulo indignant, ut, quando idem occurrit, sermo plerum-

(32) Prax. Med. Tit. de dolor. junctur. p. m. 662. (33) in Dioscor. Lib. III. cap. 87. (34) de univ. stirp. nat. Lib. II. cap. 24.

plerumque fit speciatim de *glutine*, non æque *planta Visci*, quam frequentius τὴν ἰξίαν appellant, solo fere *Aristotele* excepto: cum contra major in Latina voce versetur ambiguitas, haud facile, nisi è contextu, aut epitheto glutinis vel plantæ, dirimenda. Ubi-
cunque autem *Viscum*, absolute positum, legitur intra corpus su-
mendum, semper id de planta intelligi debet, minus de glutine. Cæterum hoc è baccis plantæ confieri, jam diximus in fine Ca-
pitis I: Est nimirum nihil aliud, quam *pulpa ista tenax & lenta bac-
carum*, cujus ibidem facta jam est mentio Cap. II. §. 5. Integrum
parandi processum exponit *Plinius* l. c. his verbis: *Acini colligun-
tur messum tempore immaturi: nam si accessere imbres (autumni),
amplitudine quidem augentur, visco vero marcescunt: siccantur de-
inde, & aridi tunduntur, & conditi in aqua putrescunt, duodenis
fere diebus: inde in profluente rursus malleo tusi, amissis corticibus
interiore carne lentescunt.* Senenses, *Matthiolo* referente, grana
Visci decoquunt in aqua, donec disrumpantur; postea contundunt
& tam diu lavant in aqua quousque furfurea recrementa eximant.

§. 2. Consistentia hoc *gluten* inter solidam & fluidam media
gaudet, propter particulas, id maximam partem constituentes,
ramosas, plicatiles, gummeo-resinosas, intermixtis aqueis pro-
portione debita, unde lentor ac tenacitas illa proficiscuntur.
Usum habuit antiquitus primum in aucupiis: Etenim, hoc (ait
Plinius) est *Viscum*, pennis avium tactu ligandis, oleo juglandis sub-
actum, cum lubet insidias moliri: Quare & nostratibus hodiernum
Bogel-Leim audit, tamen raro sincerum hoc proferet. Ansam
vero dedit adagio vetusto Græcorum: *Κίχλα χίξῃ ἀντὴ κατὸν*, i. e.
Turdus ipse sibi malum cacat, vel, uti *Plautus* (35) effert: *ipsa sibi
avis mortem creat.* Sed hic à *Plauto* fuisse scriptum, *cacat*, non
creat, *Desid. Erasmus* (36) opinatur, deinde locum hunc à quo-
piam semidocto, & Græcanici proverbii ignaro depravatum exi-
stimat. Ratio *paræmiæ* fundatur in *hypothesi*, de propagatione *Vi-
sci per aves*, de qua nos Cap. IV. late differuimus, & in illos dicè-
tur, qui sibimetipsis exitii causam ministrant, perinde ut aves, de-
glutitis *Visci* acinis, eorum granula cacando, & quasi ferendo,

E

novas

(35) in Fragment. edit. Gruter. p. 1483. (36) Adag. *Chiliad.* I.
Cent. I. num. 55.

novas producant plantas, quarum baccis contento glutine postmodum ipsæ capi queant.

§. 3. Medici hoc *gluten*, ab aucupibus mutuatum, in varios convertere sategerunt *usus*, saltem *externos*: Quamvis enim venenosum haud sit, veluti *Remb. Dodonæus* (37) autumat, sed innoxia facultate purgandi polleat, monstrante *Th. Browne* l. c. extrinsecus tamen solum adhiberi quondam consuevit. Virtutes ipsi adscriptæ, ut summam dicamus, in *emolliendo*, *discutiendo* & *extrahendo* præcipue consistunt. Ita *Dioscorides* (38) *parotidas*, *tubercula* (*Φύματᾶ*) aliosque *abscessus*, etiam *malignos* (*κακῆ-Σεις*) digerere & emollire perhibet; cui *Galenus* (39) adstipulatur, *Viscum* collaudans, quod *valenter ex alto humores extrahat*, nec illos tantum *tenues*, sed & *crassiores*, eosque *diffundat ac digerat*: unde Chirurgus quidam Augustanus *Visco querno*, in aqua liquefacto; & calide applicato, *bubones pestilentes* mire aperuit, narrante *Hierem. Martio* (40). Notabile est *Scribonii Largi* (41) *ruptorium*, è cinere (vel sale) *lixivii* & *Visco concinnatum*, quo imposito *partes suppuratas* personis ad sectionem *timidis aperire*, *doloresque diutinos pectoris, lateris, lumborum*, cum ad nullum malagma aut auxilium cederent, *tollere* fuit solitus: exulcerata enim minima parte cujusque dolentis loci, humoribus postea vitium veluti eiciebatur. Hujus efficaciam sibi conscius *Matth. Lobelius*, *epispasticum nulli secundum Visci gluten* dicere, non dubitavit: Eandem & *malaoticam vim* agnovit etiam *Dan. Ludovicil.* c.

§. 4. Quod insuper *resolvendo* ac *discutiendo* potens sit *Viscum*, *Dioscorides* exploratum habuit, quatenus illud *Διὰ Φορῆν* discrete affirmat, & speciatim ad *lienis* (aut *hypochondriorum*) *tumores* absumendos imponere præcipit. Neque vero silenda est *virtus traumatica Visci*, quam *Scrib. Largus* (42) profitetur, ubi *emplastrum suum incerti coloris*, quod *Viscum* copiose & tanquam basis ingreditur, deprædicat *mirificum*, non modo ad *furunculos, strumas, omnemque duritiem discutiendam*, sed etiam ad *cicatricem diutini ulceris ducendam, omniaque mediocria vulnera* &c. Similiter

(37) Pempt. VI. Lib. IV. cap. 3. (38) Lib. 3. cap. 103. (39) de Simpl. Facult. Lib. VI. (40) l. c. obs. 139. (41) Compos. Med. num. 229. (42) l. c. num. 214.

militer in *labiorum & aurium vulneribus* consolidandis utile expertus est *Viscum Marcellus Cumanus* (43). Hanc ipsam ob facultatem inditur *cerato Nicolai ad hernias* sive ramicem (44); & *Melch. Sebizius pater* (45) *glutem Visci* cum succo millefol. inspissat. *herniis infantum* curandis inservire tradit. Conveniet autem pro usu *traumatico Viscum recens*, non putredinosa quadam digestionem, ad mentem *Plinii* paratum, quod magis epispasticum & malacticum erit. Possent equidem plura *de viribus Visci glutinis* in medium proferri, sed sufficit, quod è jam dictis pateat, more minus laudando negligi hodie *επιπέρασον & πολύχρεστον* istud remedium.

§. 5. Circa *delectum Visci glutinis ως ἐν παροῖσιν* animadvertimus, parum huc quadrare textum *Dioscoridis*, qui *intus porraceum, extra flavescens, melioris nota Viscum* esse admonet: Talis enim colorum diversitas in optimo quocunque vix observabitur, potius *ad ligni corticem* restringenda, qui sæpius eo modo coloratus apparet. De cætero, quantum *ad usus medicos*, ut *lignum*, ita & *gluten Visci querni* vulgo censetur præstantissimum. *Ad aucupia* vero commodius *e castanea depromptum* judicat *Matthiolum*, annectendo usum singularem, quod in *Hetruria*, illitum hoc gluten vitium caudicibus, prohibeat infensissimis alias vermibus ascensum de terra in ipsas vites. Quomodo *Soli & aquæ aptum*, i. e. impetum utriusque eludens, effici queat *Viscum*, edocet *Franc. Alexander* l. c. *Ανθρακώδρα Visci glutinis* memorantur passim varia, ex *Agrifolio, Viburno, Ibisco, fructibus Sebesten* aut *Myxis*, &c. adornanda, de quibus *Matthiolum & Prosp. Alpinum* (46) consulere inprimis juvabit. Peculiaris est observatio (dummodo non hallucinatio) *Hier. Tragi*, quod nimirum è *cortice Visci plantæ gluten fiat*, quo *aviculæ* capiuntur. Nos autem hæc potissimum aucupibus porro disquirenda relinquimus, omnem vero *Thematibus nostris elaborationem* benevolæ virorum sagacium censuræ & expolitioni commendantes, nunc fatigati, calamum huic *Visco* diutius implicatum, tandem extricamus atque retrahimus.

S. D. G.

E III-

(43) Observ. à *Velschio* edit. num. 11. (44) Vid. *Franc. Alexandri* Apoll. rad. XI. p. m. 714. (45) Additam. ad *Tragi* herbar. part. III. cap. 3. (46) de *Plantis Ægypt.* cap. VIII.

E Π Ι Μ Ε Τ Ρ Α Miscellanea
Respondentis.

I.

Praeter vitalem & animale[m] Spiritum, etiam naturalis & genitalis corpori humano inexistunt.

II.

Eadem Chyli & Lactis est substantia.

III.

Lacte saepius praestat aqua, pro educandis infantibus.

IV.

Fomentatio corporis, animalium vivorum admotione facta, egregium in quibusdam casibus est remedium.

V.

Vegetabilia, curanda hominum sanitati, pra animalibus & mineralibus, opportuniore censeo.

VI.

Hinc Galenica saepe praferenda sunt Chemicis.

VII.

Et plura morborum remedia specifica peti possunt e vegetabili Regno quam ex animali & minerali

VIII.


Pneumonica auxilia quam optime vaporationis humidae forma adbibentur.

IX.

Saccharum & parata cum eo alimenta atq; medicamenta, neutiquam adeo nociva sunt, ut vulgus Medicorum existimat.

X.

Chocolada, quam vis laudabiliter nutriat, debili stomacho conducit, viresq; reliqui corporis inflauret, pluribus tamen personis minime convenit.





MAY 22 1966



Arr